

24

11323. v. 13. b. 12

DISSERTATIO

INAUGURALIS PATHOLOGICO-MEDICA

DE

DISPOSITIONE

INFANTUM AD MORBOS.

Reverendissimo Domino
Francisco Ellendick
Professo Gymnasii Lubae
in benignam sui memoriam
offert

auctor gratus qd.
disponitur

DISSERTATIO

INAUGURALIS PATHOLOGICO - MEDICA

DE

DISPOSITIONE

INFANTUM AD MORBOS,

QUAM .

SENSU ET AUCTORITATE

EXCELLENTISSIMI, ILLUSTRISSIMI AC MAGNIFICI

DOMINI

PRAESIDIS ET DIRECTORIS,

PERILLUSTRIS ET SPECTABILIS

DOMINI DECANI

NEC NON

CLARISSIMORUM D. D. PROFESSORUM

ANTIQUISSIMAE ET CELEBERRIMAE

UNIVERSITATIS VIENNENSIS,

PRO

DOCTORIS LAUREA, SUMMISQUE

IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS

RITE ET LEGITIME

CONSEQUENDIS

PUBLICAE DISQUISITIONI SUBJICIT

Josephus Doluitscher,

Illyrus e St. Petri ad Labacum.



Theses adnexae defenduntur in Universitatis aedibus
die 21. Julii MDCCCXXXII.

VINDOBONAE.

TYPIS LEOPOLDI GRUND.

Natura — hominem tantum nudum et in nuda humo, natali die abiecit ad vagitus statim et ploratum, nullumque tot animalium aliud ad lacrimas et has protinus vitae principio.

Plinius Secundus Major Lib. VII. C. 1 de homine.

§. 1.

Nonnisi vivum aegrotat; ut igitur morbus vita absente cogitari nequeat; quae autem, quum certum sibi, in quo existat, locum, exposcat, et definitum, quo decurrat, tempus postulet, ipsa cum morbo ad corpus organicum referenda erit. (*Hartmann.*)

§. 2.

Morbus ergo, qui „vitae corporis cujusdam internae mutationem sistit, qua ipsius evolutio turbatur, destructio promovetur, motusque organicus a legitima ad evolutionem et totum vitae finem ratione recedit,” (*Hartmann*) nonnisi in organismo quodam vivo observari et tractari potest.

§. 3.

Organismus vivus intimum ingreditur cum natura externa commercium, ut qui omne existentiae suae penum ex ea depromere cogitur, nec se tueri valet incolumem, nisi cum universo implicitus, unde ab actione externa et reactione interna omnem vivi cujuslibet sortem dependere sua sponte patet.

§. 4.

Verum corpus humanum vivum, quod iisdem, ac reliqua corpora organica, subjectum est legibus, easdem cum universa natura ingreditur rationes, quibus aequae ac illa suam debet existentiam, sive victor potentiarum externarum sanum sit, sive victum iisdem cedat et tandem succumbat. Ut ergo in hoc nisu vivi et renisu naturae externae quamcumque organismi conditionem, hinc et morborum originem quaerendam esse profiteamur,

§. 5.

Quod cum natura externa commercium sibi exposcit, corpus humanum vivum, a primo, quo generatur momento, ad ultimum usque existentiae suae finem, plures percurrit aetatis periodos formationis progredientis et regredientis, sive totum consideraveris organismum, sive ad singula attenderis systemata, sive seorsim ad organa respexeris ejusdem.

§. 6.

Sed evolutionis organismi, systematum, organorum diversitas correspondentem supponit virium vitalium quantitatem et qualitatem, quum

per eas corpus fiat, et easdem repraesentet; hinc diversis, quibus organismus evolvitur humanus, periodis, vel si mavis, aetatibus, aliam atque, aliam in naturam externam exercebit reactionem, ut quae tota quanta vitae innititur internae. Unde sequitur commercii, quod corpus humanum vivum cum rebus externis sustinet, rationem, pro varia formationis periodo, sive quam ingreditur aetate, magnopere variare debere.

§. 7.

Quodsi conceditur, neque negandum erit, morbos, quos ex eodem derivamus commercio §. 4. in singula vitae periodo, ab infantia ad senam usque aetatem, admodum saepe differre, ad quam differentiam rite intelligendam organisationis, quam corpus vivum humanum in singula aetate exhibet, et vitae, quae huic subest, rationem sibi comparare, medici summopere interesse opertet; quare quum mihi proposuerim, de infantum ad morbos dispositione disserere, horum organismum et qualem se manifestet, vitam, primis saltem lineis juvabit adumbrare.

§. 8.

Tela cellulosa, basis omnis organisationis, pars constituens cujuscumque systematis et organi,

sedes reproductionis praecipua, quae inferiorem vivens vitam (eq. a *Scherer* theoria de vermium generatione) in corpore infantili principatum sibi vindicat, sed et haec ipsa imperfecte traditur evoluta, ut quae potius laxitate, teneritudine, mollitie nimia peccat, quum magna fluidorum quantitate penetrata, et haud exigua adipis aequae fluidi, fere diaphani, albescentis quantitate obsessa animadvertatur, unde in hoc systemate vires vitales primo eminere concludere licet. Ast quum, quod praepremis viget, systema corporis humani, praecipuum cum natura externa ingrediatur conflictum, effectum etiam potentiarum nocentium facilius, ac reliqua minus activa, admittat et ad morbosam reducatur actionem necesse est. Inde hujus systematis metamorphoses morbosae; infiltrationes, scirrhusarcae, partium mollium coalitus etc.

§. 9.

Quae organismum erga naturam tuetur externam, cutis, in adultis adhuc (*Czermak*), quanto magis in infantibus permeabilis, aut ut alii volunt (*Lenhossek*) penetrabilis, vasculis et nervis ditior, rapidius vegetans (*Henke*); quae superficiem obvestiunt cavorum internam, quae

organa involvunt, et in suo retinent situ, (membranae ex eadem tela germinantes, abnormem saepe induunt teneritudinem, laxitatem, et inde majorem admittunt extensionem; unde magna iterum repetitur ad suscipienda contagia, impetigines, exanthemata, inflammationes dispositio (*Henke*), pro vi aëris, electricitatis et caloris externi receptivitas (*Berend*), quae adtractis femoribus ad abdomen et vagitu continuo imminente tempestate in pueris non raro sese manifestat (*Goelis*); inde quoque abnormes organorum extensiones, situs mutatus, prolapsus, herniae etc., in hac aetate observandae ortum capere, facile erit conceptu.

§. 10.

Vitae reproductivae systema, quod glandulosum appellant, primis vitae periodis magis, ac serius esse evolutum, illius non fugiet intellectum, qui glandulam thymus, glandulas suprarenales, hepar etc., justa dignabitur attentione, quod qui fecerit, neque inficias ibit, majorem in his organis vitae alacritatem in hac aetate esse supponendam, et, quod ex pathologiae generalis principiis patet, ad actionem abnormem facilius abripiendam (*Hartmanni Pathol. gener. pag. 331*,

§. 610) unde magna ad malum scrophulosum diathesis et frequentes exoriuntur glandularum lymphaticarum affectiones.

§. 11.

Si fibram hujus aetatulae muscularem contemplationi subjeceris, teneram videbis et laxam, mollitie, pallore, et irritabilitate ab ea invenies distinctam, quae corporis in formatione sua magis progressi constituit compagem; musculos autem integros reprehendes graciliores, vaginis laxis circumdatos, majori fluidorum copia repletos, gelatina, quam fibra locupletiores; cujus habitus tum tendines, quum ligamenta participia fieri, non arduum erit intelligere. Quae autem si ita se habent, non mirum videbitur, cur spasmi (*Clarus*), extensiones, subluxationes, luxationes, claudicatio spontanea etc. parvulorum salutem tantoties dubiam reddant.

§. 12.

In quibus sanguinis circulus absolvitur, vasa, amplitudine, numero, mollitie, irritabilitate, et extensiva activitate cum infantuli aetate in ratione sunt indirecta (*Henke*), quorum tamen ad morbos parvulorum symbolam, ut quam, ubi de vitae

manifestationibus loquar, opportunius reiterabo, hic memorare supersedeo.

§. 13.

Systema nerveum, — cerebrum, medulla spinalis, nervi ex utroque egredientes — quod magnae molis, texturae est mollioris, fere fluidum (*Henke*). Cerebrum et quoad totam massam, et quoad singulas partes, minus est perfectum, citius tamen in prima, quam in sequente aetate increscit; nervi et ganglia, nunc majora, agili sensilitate ad abnormem facile nituntur activitatem, quae tamen in sequentibus aptiorem invenient explicatum.

§. 14.

Cui partes solido-molles adhaerent, quodque organon nervorum vitae animalis centrale tuetur, systema osseum, cartilagosae fere indolis, magna laborat mollitie et imperfecta massae suae elaboratione; quae serius integrum formant ossa, nunc in partes, successu temporis sese unituras, discreta sunt, id quod in cranii ossibus vel maxime conspicuum fit. Hinc facile erit explicatu, cur ossium degenerationes, incurvationes, rhachitis, compressiones cum organorum conten-

torum evolutione, functionibus impeditis, et nata inde stupiditate, infantiles persequantur annos.

§. 15.

Si, quam succincte hucusque exhibere studui, tenelli organismi compages, tantam jam involvit ad morbos diathesim, tantaque valet in salutem pervertendam potestate; quanto major erit ad effectum potentiarum nocentium suscipiendum dispositio, quae ab ipsius vitae internae, robore et constantia destitutae, summa agilitate et alacritate dependet. Ad quam, quidquam accuratius considerandam, non absque re mihi esse videtur, manifestationes, quibus vita in conspectum venit, in memoriam revocare, quae, ut ex physiologiae generalis principiis elucet, ad vitam reproductivam, irritabilem et sensiferam erunt reducendae. Hae nunc, quibus vita obsolvitur, interna, functiones, ita in aetate infantili se ad invicem habent, ut reproductio praevaleat, irritabilitas ei sit secunda, sensibilitas (praecipue si robur et constantiam respexeris) ultimum occupet locum; hinc vitae impetus in systema reproductivum maxime, minus in irritabile, minime in sensiferum convertatur oportet. Quod si nunc, praeeunte pathologia generali (*Hartmann* pag.

331, §. 610) constat, ad morbos dispositionem in infantibus vitae reproductivae primo potissimum inhaerere confitendum est; quare opportunum vihi videtur, hanc vitae functionem aliquo modo adcuratius considerare.

§. 16.

Vita reproductiva, cujus est, non solum, quae per vitae processum consumpta sunt, restituere, sed etiam, quae incrementum organismi infantilis sibi exigit, suppeditare, cum digestionem, assimilationem, secretionem, nutritionem, excretionem (*Hartmann Path. gener. pag. 87, §. 142*) opus suum absolvit, quarum vero functionum, quum singulam diffusius tractare opusculi limites vetent, prae aliis in

§. 17.

Considerabo in respectu aetiologico digestionem, quae parvulo ex utero materno excluso exorditur, et actione vitali absolvitur ventriculi, qui humoribus maternis, magis sibi homogeneis, adsuetus, et unacum tractu intestinali irritatu et stimulatu facillimus, irrepentibus potentiis quidquam alienis, largum offert campum magnam ad affectiones morbosas dispositionem involven-

tem, unde tot et tantae turbae in conspectum saepe prodire videmus, et infantes ad ructus, vomitum, diarrhoeam, dolores colicos, choleram, dysenteriam, spasmos varii generis, convulsiones etc. adeo pronos esse quotidiana experientia edocemur.

§. 18.

Qui digestionem excipit processus vitae reproductivae, chimificatio et chylicatio adpellatur, quae eo distinguitur, quod magna rapiditate peragitur, et productum largitur, quod albuminosae magis indolis, fibram sistit, inferiore evolutione modificatam (*Berend*), in corpore infantili praevalentem, quae ipsius substantiae nerveae, in primis cerebri, insignem constituit partem; unde rapida ejusdem vegetatio, et considerabilis inde moles reprehenduntur. Ast vegeta haec substantia albuminosa, vitam alacrem quidem, sed robore et constantia destitutam supponens, ad degenerationem et desorganisationem praesertim organorum vitae inferioris pronissima, in massam facile luxuriantem pullulat, et corpus ita disponit, ut habitum induat scrophulosum, qui in morbum quem eodem insignunt nomine, mox transit; ut contagiorum citius admittat efficaciam;

ut exanthematibus vexetur omnis generis, ut glandularum ocyus sibi contrahat labem.

Verum etiam est, ubi haec ipsa, ut ita dicam massa albuminosa, quam digestionis, chymificationis et chylicationis opus progenerat, vix mucī assequitur dignitatem, qui sanguini admixtus, hunc talem constituit, ut, quibus materiam plasticam adferre deberet, partes organismi eodem inquinet ita, ut non solum in membranīs mucosis, sed in organis etiam secernentibus aliis, eorumque secretis, et vel in ipsis vesicis, quas vesicantia, cuti adplicata elevant, copiose cieatur. Quae perspicienti, cur huic aetati status pituitosus, digestionis turbae, morbus verminosus etc. adeo pertinaciter inhaereant, mox inclarescet.

§. 19.

Sanguificatio, in sestemate vasorum sibi correspondente, mobilitate magna, exiguaque energia donato, insigni absolvitur alacritate, sed ipse, qui inde emergit sanguis, sero et albumina dives, cruoris et fibrae penuria laborat ita, ut, si haec, quod in statu hypersthenico aut inflammatorio accidit, copiosior evadit, ad indolem semper adhuc magis albuminosam accedat, in qua sanguinis indole ad transudationes albuminosae,

(*Berend*) effusiones serosas, malum hydropicum, dispositio fundatur.

Non minus expeditus est, quo sanguis venosus in arteriosum convertitur, processus vitalis, qui pulmonum cum aëre externo conflictum chymico-dinamicum (*Hartmann*) ingredientium exhalationi, bilis secretioni, et, qua phlogisticorum eliminatio e corpore organico promovetur (*Lenhossek*) ejusdem per canalem alimentarem et anum excretioni innititur, quoque ob alacritatem nimiam facile turbando, venosa provocatur dyscrasia; hinc diathesis ad cyanosin etc.

§. 20.

Quousque functiones modo pertractatae normali processerint tramite, adsimilationis, secretionis etiam opus, materiae plasticæ adpositio — nutritio — normam sequentur sanæ naturæ, et non solum reparationi consumti, sed etiam incremento organismi sufficiendo, in systemate arterioso-capillari, et materiam organis plasticam suppetante, magna fervebit activitate, qua indoles plastica augetur, fluida in solida urgentur, et quod Physices leges jubent (*Crivelli*) caloris animalis evolutio promovetur. Quibus lymphatica simul et venosa resorptio respondeat, necesse

est, ne turbato, quod exigitur, aequilibrio, ad serosas collectiones, et adfectiones hydropicas dispositio in morbos tandem evolvatur, intra cranii parietes saevituros, aut aliam corporis imbecilli partem occupaturos.

Ast dum tanta alacritate superbiunt vascula resorbentia et lymphatica, et ipsa in morbosam abripiuntur irritationem, inflammationem, indurationem, quas permeant, glandularum etc., aut praegressa intentione exorbitante in debilitatem relabuntur, matrem morborum oppositorum.

Aucta et accelerata resorptione major quoque materierum, nota organica privatarum, quantitas in sanguinis circulum reducitur, ut organis excernentibus traditae e corpore eliminantur; quo fit, ut cutis et organa uropoëtica, quibus hoc officium prae aliis commissum est, in activitate versentur majore, unde ex hac parte iterum vita facile afficitur interna, et nova infantibus accedit ad morbos dispositio.

Magna porro, qua distinguitur systema resorbens in statu normali alacritas, et, quae huic respondeat se-et excernendi facultas, in causa est, ut, turbato, qui interesse deberet concentu, et hac aut in se, aut ad illam relata limites transgrediente praescriptos, corpus depascatur, vires

vitales exhauriantur, et tabifica inducatur macies
(*Berend*).

§. 21.

Alteram, cujus in §. 15. mentionem feci, vitae manifestationem, irritabilitatem compellamus, quae quod incolit systema musculare — vitae vel animalis vel organicae — ita disponit, ut, aut voluntate accedente, aut incitamento alio sive interno, sive externo applicato, in motum agatur contrahentem, in quem pro organisatione peculiari §. 11., facile abripitur, et rem ita constituit, ut magna inde nascatur infantum ad convulsiones, spasmos, et motus abnormes pronitas, partim in musculis voluntariis, partim automaticis conspicua.

Idem valet de vasis sanguinem ducentibus, quorum structura in infantili aetate propria §. 12., ea est, ut omne incitamentum, quidquam fortius agens, eorum exaltet vitalitatem, quo iterum major ponitur in parvulis ad congestiones, febres, raro tamen, quas essentielles dicunt (*Berend*), inflammationes etc. diathesis.

§. 22.

Sensibilitas, sive facultas impressiones vel externas, vel internas percipiendi, ad organon

vitae sensiferae centrale conducendi et correspondentem his reactionem exserendi, systema sibi nerveum incolendum selegit, quod pro sua iterum organismi infantilis organisatione §. 13. multo majore, ac in adultis, gaudet alacritate, et pro impressionibus receptivitate, unde sensationes facilius excitandae, et reactio vividior explicatur, et major ad dolores, ad vitae sensiferae perturbationes dispositio intelligitur (*Sundelin*); quibus affectionibus ob teneram massae organisationem, et celerem, cui subjicitur, metamorphosim, constantia deest.

Quibus et illud addendum est, ob magnam sensationum fugacitatem impressiones in organis vitae superioris centralibus neque colligi, neque ad claram posse pervenire conscientiam, unde, si stupiditatem et fatuitatem, quae in infantibus non adeo rarae sunt, exceperis, cur functionum superiorum facultatum in hac aetate turbae rarius intercurrent, concipiatur oportet.

§. 23.

Licet ex hac, quam hucusque minime diffuse exposui, organismi inermis et imbecilli constitutione, et quas raptim pertractavi, vitae manifestationibus, ad multos morbos infantum disposi-

tio eluceat; tamen alia adhuc accedit, quae diversis, quibus corpus tenellum evolvitur, periodis, exoritur, cujusque, quantum per tempus ingenique parcitatem licet, brevem hic subjungam expositionem.

§. 24.

Omnis, quam organon aut systema aliquod subit, evolutio, vitae effectus est, ipso evolutionis momento in eodem exaltatae; quo necessario, qui inter omnia viget organa et systemata contentus pro tempore tollitur, processus vero in organo evolvendo, aut et in vicinis, quibus circumdatur, aut quibuscum interius sustinet commercium vitale, reproductivus et formativus exaltatur, motus febriles excitantur, thermogenesis augetur, humorum circuitus acceleratur, congestiones, incommoda alia, inde nata, perturbationes systematis nervosi provocantur et ad praecocem non raro curam medicum invitant incantum, qui obliviscitur, viribus vitalibus efferventibus potius, quam efformato morbo haec omnia deberi, et magnam tantum ad adfectiones morbosas, quae singulam premit evolutionis periodum, involvere dispositionem.

Quae evolutionis processui, ob magnam, quae inter organa organismi tenelli interest, sympa-

thiam, se associant symptomata nervosa, ut spasmi, convulsionones, vel et vitae plasticae turbae, quae diarrhoeam, impetigines aut caput, aut reliquum cutis ambitum obsidentes, excitare solent, parem merentur medici cauti attentionem, ne, dum vitae internae exaltatae crisim, ut ita dicam, sistunt, evoluti morbi phaenomena habeantur, et ne dum, ut limitentur, desiderant, energicae subjiciantur curae. Quin ideo negandum esse censeam, omnia multiplex minari salutis periculum, quod, si diutius constant, aut res externae favent, sub specie morbi evoluti aut hujus aut alius generis tandem ingruit, et nomine morbi evolutionis omni jure consalutatur. Quae si constant, quibus corpus evolvitur, et ad effectum nocivum excipiendum pronius redditur, periodos, accuratius considerare oportet, quod ut fiat, evolutionem organismi infantilis in tria stadia dividere juvabit, quorum primum eo incipit momento, quo vita foetus absoluta, neonatus immediatum cum naturna externa ingreditur commercium; altero primam assignamus dentitionem; tertium dentium permanentium eruptione annuntiatur.

§. 25.

Qui eo, quo infans in lucem prodit, momento incipit evolutionis processus, gravissimam in vi-

ta ejus et multiplicem producit mutationem, quum ingruente respiratione, sanguinis circuitu mutato, digestionem, assimilationem nutritionem etc., corporis per canalem alimentarem inchoantibus, alvi excretionem per anum et transpirationem per cutem exordientibus, sensuum functionibus incipientibus, non tantum inter singula systemata et organa aliud, sed novum simul et multiplex inter corpus infantile et naturam externam commercium constituitur (*Hartmann*) et ad varios oritur morbos dispositio, ita, ut minime miremur, si respirationis anomalias, circulationis turbas, leipothymiam, asphyxiam etc., infantulis instare videmus vix partis; si canalis alimentaris, turbatu facillimi, functiones pervertuntur, et vomitus, diarrhoeae, succorum digerentium corruptio, alienatio, acida primarum viarum, nimia muci ibidem generatio, vermium rudimenta, dolores colici etc., in lucem vix editorum salutem dubiae tradunt sorti.

Quibus primarum viarum turbis et mutata, quae hucusque vixit, hepatis functione, ad icterum pronitas se addit, neonatos haud raro instantem. Quid? quod ex eodem fonte aptas ortum capere, et totum inde tractum intestinalem quandoque adfici referunt observatores.

Nunc etiam est, ubi vita nervos incolens suscitata, sensuum ut plurimum externorum ope, cum novo mundo innumerisque ejus potentiis v. g. luce, aëre, calore, frigore, sono etc., commercium sustinet, et pro summa, qua praedita est, sensibilitate, et nervorum agilitate, insigni premitur ad morbos diathesi. Inde est, ut res peregrinae v. c. frigus, utut moderatum, corpusculo simili admissum, colicam, convulsiones, spasmos vehementissimos, trismus et tetanum lethalem progenerare (*Berend*), lux vero sive diurna, sive nocturna ophthalmiam inducere valeant, nobilissimo facile organo exitialem.

Non minore attentione cutis, quae vasculis ditissima, epidermide tenerrima obducitur, digna esse videtur, ut quam, functionem nunc, ni novam, certe tamen, uti pulmones, cum quorum functione, ut e physiologia constat, congruit, ab illa longe diversam, cui in utero adhuc materno praefuit, suscipere arbitrör. Ut vero de reliquis taceam systematis hujus functionibus, sub respectu aetiologico transpirationem tantum nomino, quae per cutem absolvenda saepenumero illico supprimitur et gravem simul vitae internae mutationem inducit (*Hartmanni* tractatus de diaphoreticorum applicatione et usu in genere) unde

fit, ut ex lege oppositionis dynamicæ (*Hartmanni* Path. generalis, pag. 367, §. 678) canalis alimentaris ejusdem teneat vicem, unde diarrhoeam, vomitum, dolores colicos, inflammationem intestinorum, aut aliorum organorum, commercium interius cum cute sustinentium, spasmos, convulsiones etc., derivari fas est contendere; inoerisipelas et scirrhosarcam inde ortum quandoque habere probabile esse videtur.

§. 26.

Quod secundum dixi, evolutionis stadium, cum dentitione prima incipit, quo magna exsurgit in toto organismo, praeprimis autem in cerebro et in reliquo systemate nervoso, revolutio.

Sicut enim, ut ex physiologiae principiis constat, in omnem ossium formationem, systema nerveum vim habet, eamque insignem; ita quoque nunc vitalitate sua exaltata dentium eruptioni magna opitulatur energia, et in sua ipsius progreditur evolutione; id, quod sensus externi, hoc tempore acriores facti, facultates vitae superioris, cujus cerebrum organon praecipuum est, nunc vigere incipientes, organa vocis, quae primam nunc loquelam molientia, encephali nervis instruuntur, (*anatomische Beschreibung des ganzen mensch-*

lichen Körpers, von Aloys Michael Mayer. Wien 1820, Seite 357,) attentum observatorem illico edocebunt.

Quae vero si conceditur cerebri perfectio, intensiorem sub dentitione vitam supponens, sympathica ejus, eaque valida in systema vitae plasticae actio admittenda erit; id quod de ventriculo tractu intestinali, et de hepate in primis praedicandum est.

Nam, quod certe soli dentium pullulantium irritationi non potest adscribi, parvuli nunc cibis mere fluidis non amplius contenti, solidiora desiderant alimenta, et corpora dura, ubi habent, continuo ori admoveere abservantur: effectus vitae nerveae mutatae, obscura molientis. Memoratu porro dignam vim cerebri in hepar esse, experientia quotidiana constat, qua ducti scimus, affectionibus visceris in cranio contenti graves succedere jecoris turbas. Unde in hoc quoque evolutionis stadio, auctam encephali energiam, sympathicum exserere debere in hepar effectum, contendere, et bilem tum quoad quantitatem, quum quoad qualitatem inde mutari affirmare licet. Ex mutata igitur sub dentitione vita sensifera et plastica, ad aliam quoque potest concludi

ad morbos diathesim, qua fit, ut partim idiopathica, partim sympathica exoriantur mala.

Chylificatio, quae nunc praevalet, sanguinis paratio, quae rapide procedit et alacriter, materiae plasticae elaboratio, quae intenso absolvitur vitae processu (*Berend*), polychyliae, plaethorae humorum exorbitanti occasionem praebent, quibus natura diarrhoeis, exanthematibus impetiginibus v. c. crusta lactea etc., sese liberare studet.

Vita cerebri intensior, majorem sanguinis, ut e Pathologia generali (*Hartmanni* pag. 211., §. 378 lin. 3., *infr.*) repeti potest, adlicit quantitatem, unde dispositio ad congestiones ad cerebrum, ad ejusdem statum erethicum et ad inde orituras impetigines v. g. tineam capitis, ad encephalitidem, ad hydrocephalum vel acutum, vel chronicum, ad anginam, ad affectiones nervosas explicari potest.

Nec localis, quae hunc evolutionis processum comitatur, irritatio praetervidenda est, ut quae ad organa vicina facili negotio propagatur, et adfectioni idiopathicae ad mala sympathica diathesim adjungit; unde glandularum sub dentium eruptione tumores, inflammationes, ophthalmiae, mala catarrhalia et gastrica, nervorum extensiones etc. suam sat saepe repetunt originem.

§. 27.

Quum vero, ut e paragrapho praecedente sequitur, sub prima dentitione, vita plastica ad tam intensum agatur processum, corpus etiam, cujus organa et systemata evoluit, cuique materias plasticas ultra consumti quantitatem fuggerit, ita constituere potest, ut viribus vitalibus aut uno aut altero modo mutatis, non tantum diathesis ad morbos vegetationis, sed ipsi morbi tandem evolvantur, quod rhachitis, scrophulae, tabes infantum, atrophia sufficienter evincunt.

§. 28.

Stadium tertium aetatis infantilis, quod organismus in sua progrediens evolutione subit, in secundae dentitionis tempus coincidit. Nunc est, ubi systemata corporis praecipua magis magisque evolvuntur, nervisque major in vitam plasticam renisus accedit (*Hartmann*); musculis additur robur, et substantiae osseae quantitas in organismo augetur, unde est, ut partes discretae et nonnisi massa cartilaginosa conglutinatae in ossa integra condescere incipiant. Quibus fit, ut minor nunc sit ad morbos vitae plasticae dispositio, licet non possit negari, exanthemata,

tussim, quam convulsivam dicunt, anginam membranaceam, infarctus glandularum meseraicarum infantibus hujus stadii perniciosam saepe minari sortem, quod utique de illis in primis valebit, qui haereditario ad haec mala jure gaudent, aut infirma ab ipsa natura constitutione mulctati sunt. Praetereundum tandem non est, quosdam fuisse, quorum ad morbos opportunitas, mutatis dentibus, in simplicem, eamque exiguam transierit dispositionem, alios, in quibus rhachitis fuerit exasperata, scrophulae autem vel remiserint, vel penitus cessaverint, quum hoc stadium evolutionis ingressi dentibus exornarentur permanentibus.

Theses defendendae.

I.

Medicina ea gaudet veritate, cui salus humana credi possit.

II.

Remediis chimica in organismum vivum efficacia neganda non est.

III.

Genus humanum arte medica carere nequit.

IV.

Medicorum juniorum consilium saluberrimum in veteranis scientiae et artis cultoribus est positum.

V.

Docimasia pulmonum hydrostatica anceps.

VI.

Partus serotini sunt concedendi.

VII.

Vis narcoticorum est negativa.

VIII.

Morbi infantum, nervosis stipati symptomatibus, remediis nervinis raro tractandi.

IX.

Scirrhusarca abnormem hepatis functionem matrem agnoscit.

X.

Vires a materiis essentialiter non differunt.

XI.

Vita, sanitas, morbus, mors ejusdem sunt scaturiginis.

XII.


Vana sunt, quae contra vivam ventriculi sub vomitu contractionem adducuntur.


XIII.

Homo, ut bipes incedat, a natura constitutus est.

XIV.

Medicus communis sit infimis; par principibus.





VINDOBONAE.
TYPIS LEOPOLDI GRUND.

MDCCCXXXII.